



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Virtvtem. Thomam Somersettum, totamquè Vigorniensem familiam celebrat. Recentem honorem in D. Petri Basilica Vaticana collatum Thomæ à commendatione Virtutis, ad maiora gradum fore auguratur. Ode ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Vndè solennes meditatur aras
 Roma longinquæ, patrioquè poscit
 Thure præsentem sociare Diuam, &
 Inferit astris .

Fiat alternum Superis duellum :
 Illa deuexos bona viset Indos ,
 Tu per Europam populi memento
 Ritè voçantis .

AD VIRTUTEM .

Thomam Somersettum, totamquè Vigorniensem familiam celebrat. Recentem honorem in D. Petri Basilica Vaticana collatum Thomæ à commendatione Virtutis, ad maiora gradum fore auguratur.

O D E X V .

TEmplorum tibi si limine peruius
 Implexo vsus erat, DIVA, & adorea ;
 Vt quem traxit honos, antè capefferet
 Virtutis mediæ tholum :
 Hic euertere amas non populariter
 Morem . Cæsareo nobile sanguine,
 Et regum titulis, & ferie ducum,
 Nomen posterior capis .
 Audita est gemino dudùm Hyperioni
 SOMERSETTA domus : Memnonis vt parens
 Comis, nec sit Atlas notior hospiti,
 Condat, seu reparet diem .
 Sed quid lata valet gloria, gloria
 Si tantùm est ? sine te, dixero Erostrati
 Famam, cui potuit sacrilegâ manu
 Præferre ipse Ephesi facem .
 Atquè tot proavis haud ego grandibus
 Defecisse reor te sociam, Dea ;
 Præfens in varijs ire periculis,
 Fraudes alma retexere .

Hec

Hæc fasti memores, ac tabularia
Regnorum, acta colunt. En iaciam rude
Semen, perpetuis materiam libris

Quondam diuitis aræ.

O gens certa Dei, grata Vicario
Firmi propositi, corde Vigornia
Inuicto, quoties religio petit

Contra flagitium latus!

Promam illustre, recens: discite posteri
Nunc omnes vel ab hoc. Principis in fide
Vel durare pater, vel cupidus mori,

Ceum regi Superum datam,

Ciuii miseræ clade Britannia,
Quid fecit? Phrygio parcere censui,
Neque vitæ voluit iam senior, bonis

Auctor pergere filijs.

Eheu, quis rigidas contineat genas
Fando talia? proh, Dardania subit
Pubis nil meritæ! cernitur integri

Exemplum Priami vetus.

Quod sæuis homines casibus eminent,
Et quasam tenuis de trabe suppetit
Asser; quod laceris numina vestibus

Ignoti sacra litoris

Donant incolumes, muneris est tui,
VIRTUS, ferre pigros fortiter impotens.
Tu fasces, cuneosque, & celeres rotas

Fixo lumine sustines.

Tu plumbum liquidum lætitiâ vocas
Bacchi, & conspicuis æqua clientibus
Prælibas: ideò te rabidus fugit

Tortor, te metuunt duces.

Absorptum decumis quàm propè fluctibus
Arctoi pelagi, dum violentior
Nauem turbo premit, suppositâ Petri

Seruasti iuuenem scaphâ!

Hæc nos Pamphilio candida præside
Cæsi fatamur. Non temerè rubet

150 IAC. ALB. GIBBESII
Victis Sol nebulis, mōx aliquid suū
Tinget clarus imagine .

AD FRANCISCVM ANGELVM
CARD. RAPACCIOLVM.

*Laudatur Otho Tertius, ipsius Latina tragedia ;
ad quam divulgandam rogat ut se
permittat exorari .*

O D E XVI.

HEu, quæ digna cedro, lente, volumina
Blattis das epulas ! quot malè perdere
Claræ fulgura mentis
Quæris nube modestiæ ?
Sextam præteragis iam trieterida ,
Nondùm clausa patent scrinia . Terminum
Tandem pone latebris ,
Nec mundi sapias malo .
Atquæ Romuleis pulcher honoribus
Affulges populo, nescio quid tamen
Ostro maius, & auro ,
Præfert ingenij decus .
Hoc, vt plena Deæ munera mobilis
Vltrò reddiderint Socratici viri ,
Nemo tam fuit vnquam ,
Qui veller dare, prodigus .
Quin de posthabitâ scribere gloriâ
Ingressi, minio nomen Iberico
Appinxere libellis :
Est tanti, fieri Iouis
Partu Palladio, & nisibus æmulum !
Te, si non solidum, partem aliquam abditâ
O FRANCISCE, rogamus
Thesauri citò diuidas .
Vel quam sollicitâ mente Tragœdiam
Vidi nupèr hians ; sùm legeres reum

Cul-